# DISSERTATIO POLITICA DE JURE AEDIFICANDO MAJESTATICO; QUAM IN CELEBERRIMÂ ACADEMIÂ...

Christian Röhrensee, Hieronymus Jacob : von Ryssel, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

# Jova Juva!

EA integritate ab initio hominem effigiaverat ſapientiſſimi Conditoris benignitas, ut & animi bonis emicaret pulchrè, ac corporis dotibus terreſtre aliqvod numen referret. Exactiſſima illa rerum cognitio, ille conſtantiſſimus recti tenor, ſuisq; ſe tenens terminis affectuum lenitas, qvid aliud, niſi divinitatis qvandam de ſe opinionem generabant? Jam illibatus nullisq; marceſcens ſeculis corporis honor, qvem nulla frangere aut perimere vis, nulla violare injuria, nullus corrumpere dies poterat; qvem ſanctitatis ſuæ imbuebat notitia, conceſſi divinitùs imperii perficiebat majeſtas, puriſſimæq; voluptatis ſenſus inebriabat veluti, ecqvid niſi ſummè divina, qvæq; inſinuat? Adeò in ultimo operum ſublimium ſui inſtar potentiſſimus rerum opifex expreſſerat.

II. Intercipere qværebat hunc conſummatæ felicitatis fructum juratiſſimus humani generis hoſtis; nec mora, invadit, tentat, urget, perficit deniq;, qvæ voluerat, inter pugnæ fugæq; conſilium trepidante primò antiqviſſimorum parentum fide, mox deficiente penitus, in æternum ſui opprobrium. Ac tum demum ſua intelligebant bona, cum, qvæ in poteſtate habuerant, amiſiſſent, dum denſiſſima ignorantiæ nox opprimebat animum, amorem recti cupiditatum expellebat pravitas, ac incorrupto corporis decori inexplicabilis malorum multitudo ſuccedebat. Extorres, pavidi, ab omnibus rebus imparati, foliorum ſubtegmine, mox togis naturæ deſideria ſolabantur magis, qvàm explebant, donec *ædificiorum ſtructurâ* communi conſultum neceſſitati eſt, qvæ & tempeſtatum injurias arcent commodiùs, earumq; violentiæ fortiùs reſiſtunt.

III. Hæc verò *domuum* primordia, hæc *urbium* ipſarum incunabula ſunt. Unde & *Iſidoro domus* eſt *receptaculum qvotidianum & aſſiduum contra frigus & calorem, & injurias cæli, hominum, beſtiarum. Abbas: Pel. c. 5. n. 31.* Nam qvod de hominibus, initiò pecudum inſtar in campis & ſylvis errantibus, longo autem poſt tempore vel *ad conſpectum ignis*, qvæ *Vitruvii* mens, *l. 1. c. 1.* vel *impulſu Muſicæ*, qvod *in arte Poëticâ Horatio* placet; vel *ob artem coqvinariam, ut Athen. 4. Dipnoſoph:* refert; vel *eloqventiæ beneficio*, qvæ cum

*Cicerone* multis hæret ſententia; vel *temerario fortuitoq; confluxu, ſine ullâ naturæ lege aut inſtinctu*, in qvo *Epicurum* refellit *Cicero* 1. & 2. *De Nat. Deorum*; in ſocietatem traductis vulgò adfertur, planè *poeticum* eſt, experientiâq; non minùs ac ratione deſtituitur: rectiùs in eo ſacrarum literarum nos inſtruit veritas, qvæ *Patriarchis* ſuas aſſerit ſedes, ubi in fide vitæq; probitate ſuos erudierunt, primæq; urbis ædificatorem *Cainum* pavore adactum ediſſerit, *Gen. 4. v 17.* Ex qvo ſimul & *Plinii* error patet, qvi 7. *N. H. 56.* oppida Athenienſes, urbes Ægyptios primos condidiſſe refert.

IV. Aucto paullatim humano genere, cùm diſtinctas fortunarum ſedes circumſpicerent familiarum principes, ſtruendorum ſimul ædificiorum ſtudium creviſſe in majus, ut prima maximè ætas in obſcuro ſit, nobis valdè fit veriſimile. Iſta certè temporum ſeries, qvæ univerſalem terrarum orbis inundationem qvàmproximè inſecuta eſt, de eo nos dubitare non patitur. *Nimrodus* enim, Noachi pronepos, *initium principatus ſui Babylonem, & Erech, & Achad, & Chalneh fixiſſe perhibetur*, *Gen: 10. v. 10.* Neq; nos moveat, qvod & *Belo*, & *Gigantibus* (ab *Eupolemo*) & *Semiramidi* apud *Herod:* 1 154. *Diod: Sic: 2. 7. Strabon: l. 16.* & *Nabuchodonoſori Dan: 4* Babylonis exſtructio vendicetur: ſiqvidem hoc non ita exaudiendum eſt, qvaſi è primis fundamentis excitaverint urbem, ſed qvòd cæptum opus & refinxerint denuò, & ad colophonem perduxerint, qvemadmodum aliàs *auctoris* nomen non ſoli *primo fundatori*, ſed *reſtauratori* & *innovatori* qvoq; conſvevit tribui. Itaq; facili ratione expeditur negotium, ſi Nimrodo, qui â Belo, Nini patre, non fuit alius, nec gigantis reſpuit nomen, pro primo habeamus urbis conditore, qvam exiguam, ac inundationibus Euphratis vaſtatam & penè dirutam, Semiramis poſtea ampliſſimam juxtà munitiſſimamq; effecit. Deniq; tandem, cùm, qvi conſecuti Semiramidem ſunt, Aſſyriorum reges, neglectâ Babylone, ſedem caputq; imperii eligerent Niniven, accidit, ut â Regibus deſerta Babylon, & Euphratis inſuper eluvionibus, hoſtiumq; incurſionibus vaſtata, diu obſcura jacuerit: donec everſâ Ninive Nabuchodonoſor eam inſtauravit de integro, eòq; ſedem imperii reduxit. Rectè proin *Ammianus* 23, 20. *mœnia qvidem urbis â Semiramide conſtructa fuiſſe* ait: *arcem autem ab antiqviſſimo Rege Belo*: ut taceam, *Beroſum Annianum* non niſi ampliationem urbis Semiramidi adſcribere.

V. Sed revertendum poſtliminiò in viam eſt. Conſtat ex *Abrahami* hiſtoriâ, ejus temporibus non urbes modò, ſed urbium qvoq; excidia, longinqva gentium bella, duraq; Regum ſervitia fuiſſe. *Gen: 14.* Nec incelebres Chananitidis urbes, qvas firmas, ac cœlotenus munitas, jam *Moſis* ætas conſpexit.

Nec

Sic *Davidis*, *Salomonis* ac *Joſaphati* induſtria in ædificandis oppidis ac firmandis ſicco pede prætereunda eſt, qvorum poſtremus, tametſi undecies centena & ſexaginta millia fortisſimorum numeraret militum, urbes tamen munitas in Judâ condidit. Nolo coacervare profanorum exemplorum farraginem, qvamvis in expedito labor eſſet. De magno illo orbis domitore *Alexandro Chronicon Alexandrinum*, duodecim ab eo urbes ex ſuo nomine conditas memorat. Credo & immortalitatis cupidinem ædificationem illarum inter alia cauſſam præbuiſſe. *Fulgoſus* certè 8, 15. aperte indicat, dum, *Urbes*, infit, *ab Alexandro nominatæ in India, apud Aſſyrios, Ægyptum atq; Aſiam, item à Seleuco Seleuciæ, Antiochiæ ab Antiocho, Cæſareæ qvoq; per terrarum orbem à Cæſaribus conditæ, qvid aliud indicant, niſi immenſum famæ deſiderium? qvia ſperabant hujusmodi urbium conditores, eâ appellatione, additis ſimul præclarè geſtis, ſe æternitati nomina ſua conſecraturos.*

VI. Adduximus hæc eo fine, ut *clareat*, ædificationum ſtudium principes ſemper viros exercuiſſe, qvorum fortunam præ aliis imprimis decet. Egregiè hanc in rem *Dn. Förſtn: Not: Pol: ad Tac:* 3. 72. 3. *Ann: Ædificandi ſtudium non ſolum ingenuam qvandam habet voluptatem, ſed & magnificentiam principum auget, cives ad architecturam, ſculpturam, picturam, aliasq; egregias artes excolendas invitat, pauperes deniq; inde qvotidiano labore victum ſibi procurant.* Neq; verò ex magnificentiæ tantùm publicæ ſtudio univerſim decora principibus eſt ædificandi induſtria, ſed aſſumitur qvoq; in arcanorũ imperii partem. *Nam ut ſingularis, & ſublimis, & incomparabilis habeatur ſummi imperii majeſtas, non ſolidis tantum artibus ſed inanium etiam ſplendore efficitur. Hinc oculis hominum haud rarò ſerviendum eſt: per qvos omnium facillimè intrat in animos veneratio. Sicut ex diverſo vix æſtimatur qvantacunq; dignitas, indigniori habitu veſtita. Dn. Boecl: in Tac: An. 1. 9. §. 10. Nam prima fronte talis dominus eſſe creditur, qvale eſſe habitaculum comprobatur. Caſſiod: 7. Var. 5.* Et hæc qvidem dubio omni deſtitui videntur: id verò altioris indaginis eſt, *utrum principibus*, vel qvocunq; veniant nomine, qvibus ſummum rerum judicium Deus conceſſit, *jus aliqvod majeſtatis in ædificationes competat.*

VII. Communiter ſanè arbitrantur, naturam ipſam ædificiorum exſtructionem induxiſſe, & qvemlibet in ſuo ſolo caſtrum aut domum ædificare, aut ædificatum reſtaurare, altiusq; ad cœlum (ut ICti loqvuntur) tollere poſſe, qvòd ejus ſit cœlum, cujus eſt ſolum, jurisq; gentium cenſeantur ædificia, ac per conſeqvens omnibus libera. Qvid? qvod opus novum publicũ privatus etiam ſine auctoritate principis, ſuo tamen ſumptu facere poſſit, ſuũq;

men inſcribere operi non prohibeatur? ex *l. 3. §. 2. ff. de Oper: publ:* Forſitan & illud *Felwingeri* effatum, *Differt: de Monarchiâ §.42.* pro negativâ ſententiâ militare poſſet. *Qvidam*, inqvit, *putant, Cain fuiſſe primum Monarcham, ut Joſeph: l. 1. Antiq: Judaic: & Auguſtin: l. 15. de Civit: Dei, c. 20. qvoniam Genes: 4. v. 17. legitur, eum urbem nomine Henochiam condidiſſe. Et Auguſtinus l.c. ait: Cainum Regiâ & Monarchicâ poteſtate in civitate â ſe conditâ fuiſſe armatum. Verùm reſpondetur, ædificationem alicujus urbis non ſufficere ad conſtituendam Monarchiam: aliàs qvilibet Princeps, qvi ædificaret aliqvam urbem, Monarcha foret, qvod falſum. Dein non probatur, Cainum regnaſſe Monarchicè, cùm gubernarit ſuos paternè.*

IIX. Verùm hæc tanti momenti non ſunt, ut noſtrum mereri calculum poſſint. *Naturam* ædificiorum ſtructuram invexiſſe, eatenus verum eſt, qvatenus humanæ indigentiæ, per lapſum contractæ, proſpicere ſemper allaborat. Svadet hoc natura ac permittit, neminem autem ſub immutabili lege ad illud adſtringit, multò minùs civilem in eo diſpoſitionem vetat. Impoſuit multiplex vocabuli ſenſus incautioribus mentibus, ut id pro naturæ legibus exoſcularentur protinus, qvod humanæ inclinationi qvovis modo conſentaneum eſt. Qvodſi liberaliſſimè daremus omnia, vix inde ſeqvetur aliud, qvàm Majeſtatem cum naturali Jure in eodem qvandoq; objecto occupari. Exemplo id declarat *Cl. Hornius l. 2. de Civ: c. 2. § 7. Blaſphemiam*, inqvit, *damnat jus naturale; prohibet eandem legislator: non qvaſi tùm primum ſanciatur interdictum in civitate; ſed, ut juris naturalis aſſertum obſervetur à civibus, repetitur illud, & in transgreſſores certam pœnam definit. Itaq; lex de ſupplicio blaſphemorum civilis eſt, prohibitio blaſphemiæ, naturalis.*

IX. Qvod de *liberâ cuilibet ædificandi poteſtate* ſecundo aſſerebatur loco, procedit rectè, in qvantum civilis legis diſpoſitio ceſſat: ſecus, ut abſq; ratione aſſertur, ſic pari modo auctoribus ſuis remittitur. De *gentium jure*, qvæ fundamenti loco ſubſternebantur, lubrica ſunt. Neq; enim illicò ex gentium jure rectè arceſſitur, qvod pluribus populis ob aliqvam commoditatem placuit. Nulla certè violatur gens, ſi talem vel talem ædificiorum modum ſubditis ſuis princeps præſcribat. Cum igitur non ſpectet propriè ad plurium populorum ſocietatem ædificiorum jus, nec gentes ſingulas, qvà gens ſunt, obliget, malè qvoq; ex gentium jure origo ejus deducitur. *Legum civilium* excutere mentem, peregrini fori eſt: dum tamen dari legislatores certis ſanctionibus circa ædificationes diſponere vel indicare ſcimus, majeſtatem ſibi jus illud vendicare, & ſiqvid ab iis privatorum arbitrio tranſcribitur, juris conceſſi nomine cenſendum.

X. Pri-

X. *Erbweigero* concedimus, ædificationem alicujus urbis non ſufficere ad conſtituendam Monarchiam; qvin tamen ſummi imperii indicium ſit, qvin maximè, cum jam in ordinem redacta civitas eſt, nulli dubitamus. Habuere profectò vetuſtiſſimi patresfamilias ante civilis imperii incunabula poteſtatem nemini obnoxiam; qvæ, licèt Monarchica rigoroſè loqvendo appellari non poſſit, qvam proximè tamen ejus naturam imitatur: nec nemo illud, regis imperium paterno aſſimilari. Haud ita malè ſentire videntur, qvi familias patri extra Rempublicam degenti, aut ad minimum ita confœderato, jus vitæ ac necis, unde cætera ſupremæ poteſtatis axiomata prono quaſi derivantur alveo, largiuntur; nec ſacrarum literarum eos deſtituit auctoritas. Qvid prohibet ergò, qvò minus in aſſerti noſtri firmamentum vertamus, quod ad ejus oppugnationem telum expediebatur? Accedit & hoc, qvod ſi maximè primis illis temporibus ædificationis jus pro Majeſtatis radio non fuerit reputatum, pari ratione & nunc æſtimandum veniat. Ecqvid enim de belligerandi poteſtate ab Abrahamo uſurpatâ, venationibus item, ab initio toti mortalium generi conceſſis, nunc Majeſtati vindicatis, pronunciabimus? Temporum etenim diverſitas & hic mutationem aliqvam inducere valet.

XI. Expeditis contrariis rationibus jam non difficile erit ſententiæ noſtræ documenta dare. Principiò conſtat, *Majeſtatem eſſe ſummam poteſtatem in civitatem ubiq;*, h. e. non tantùm in qvibusdam, ſed in omnibus. Subjacebunt itaq; eidem ſingula & omnia civitatis, cùm univerſalitas nihil excludat. Jam cùm & ædificia civilem in ſe recipiant ordinationem, Majeſtati hactenus ſunt ſubjicienda. *Porrò* quoniam cum Majeſtate conjungitur proximè *ferendarum legum poteſtas*, qvæ maximè circa res ſuâ naturâ indifferentes vim ſuam exerit, vel hoc nomine ſummis imperantibus certum in ædificia jus erit adſcribendum, ſive jam ad prima, ſive à primis orta illud referre placeat. Intelligentem Juris Romani hiſtoriæ latere non poteſt, vel capitalem in delinqventes ſtatuiſſe pœnam veſtiarias ac ſumptuarias leges, qvod evidentiſſimum imperii ſummi ſignum præbet. Qvidni ergò & in ædificationes Majeſtatis vis ſe extenderet? Qvodſi *deniq; univerſale Majeſtatis in civitatem regimen*, qvod ad communem univerſorum utilitatem directum eſt, certè dirigi debet, curatiùs perpendimus, ex eo qvoq; cauſſæ noſtræ non leve momentû accedit. Civilem etenim diſpoſitionem & reqvirunt & ſufferunt ædificiorum ſtructuræ; qvam ſi qvis privato auſu ſibi arrogaverit, æqvè temerarius civilis poteſtatis involabit jura, qvàm ſi qvis ſervus rei fa-

milia-

miliaris ordinationem extorqvere Domino, ſibiq; tranſcribere præſumeret. Concludamus aſſertionem noſtram *Philoſophi* teſtimonio, qvi *7. Pol. c. 11.* urbem ita condendam docet, *ut ad civiles res & ad bellicas opportuni ſe habeat: ad bellicas qvidem, ut facilis ſit civibus in aliena egreſſio, hoſtibus autem difficilis aditio, ac difficilis circumdatio.* Ædibus qvoq; privatis talem præſcribit modum, *ut miſceantur ex antiqvâ & recentiori formâ, qvæ & ſplendori inſerviant urbis, & ſecuritati pulchrè conſulant.* Qvam diſpoſitionem præter eos, qvi ad clavum Reipublicæ ſedent, competere nemini, cæcus ſit, qui non videat.

XII. Nec *exempla* declarant aliud, quàm qvòd principes perſonæ ſemper jus aliqvod circa ædificationes exeruerint. *Judæorum* ritus in proferendis Hieroſolymæ pomæriis ſeqventi modo explicat *Maimonides in Halacha Bethbabbechira, c. 10. Cum amplianda urbs eſſet, magnus Senatus Sanhedrin, Rexq; & vates unus oraculum, qvod Urim & Tummim vocant, conſuluerunt. Mox, poſtqvam illi de interpretatione divini reſponſi inter ſe conſenſiſſent, Senatores Sanhedrin carmina duo, in qvibus erat gratiarum actio, recitarunt, panesq; totidem fermentatos ſumpſere, atq; egreſſi illico cum cymbalis nabliisq; ac cytharis, ad cujusq; vici flexuras, atq; ad cippos omnes, qvi erecti in urbe erant, conſtiterunt, effatiq; illa verba ſunt:* Exaltabo te Domine, qvia exaltâſti me. *Tandem cum ad locum illum veniſſent, qvem idcircò conſecrari oportuit, qvòd pomæriorum finis eſſet futurus, ſubſtitère omnes, atq; illic ex duobus panibus, qvos decantato gemino carmine acceperant, unum comederunt, alterum uſſerunt flammis. Petr: Cunæus l. 1. de Rep. Ebr: c. 7.*

XIII. Pòſt tamen, cùm oppreſſa ab exteris Judæorum libertas eſſet, planè hæc pomœriorum prolatio non ex magni concilii arbitrio, ſed ex voluntate victoris pependit. Hinc *Cyri* Perſarum Regis auſpiciis templum, ac *Artaxerxis* indultu muri Hieroſolymitani reædificati ſunt. *Esdr: 1. Nehem: 2. Tacitus* qvoq; *5. Hiſtor: 13 3. Judæos muniendi jus per avaritiam Claudianorum temporum emiſſe* auctor eſt. Unde rectè deducit *Petr: Cunæus, l. c. Reginam illam urbium Hieroſolymam fuiſſe conditione eâdem cum municipiis omnibus, quæ ſub ditione Romanâ erant, qvorum muros nec refici ſine principis ſive præſidis auctoritate, nec aliqvid eis conjungi vel ſuperponi potuiſſe Ulpianus ICtus ait, in l. 9. §. 4. ff. de Rerum divis.* Utiq; *Claudius Cæſar*, cùm ingentis magnitudinis murum exſtrui circum Hieroſolymam intellexiſſet, Agrippæ novum opus nunciavit. Et Rex verò ſtatim dicto audiens fuit, ſuſceptamq; rem omiſit.

XIV. Con-

XIV. Conſentire nobiſcum *Romanum Jus*, *Sprengerus* edocet, *Tract: de jure ædificii, c. 7. Qvid autem*, inqviens, *dicendum de illo qvi ſuperiorem non recognoſcit, an etiam illi certa in ædificando poſita eſt regula? & dicimus, qvod non, cum Killing. de Ganerb. diſc. 4. n. 2. & 6. poteſt enim ille in ſuo pro arbitrio ædificare, qvod tamen ſecus eſt in privatis, qvibus vel lex, vel ſtatutum, vel conſvetudo certam ædificandi formam præſcribit.* Oſtendunt id ipſum leges de ædificandi ratione diſponentes. Evolvantur modo integri *Codicis de ædificiis privatis ac operibus publicis* tituli, & verba fidem invenient.

XV. Aſſerto Majeſtati hoc jure, porrò de ejus *objecto* diſpiciendum eſt. Eſſe autem illud *ædificationes*, vel inde manifeſtum eſt, qvòd jura Majeſtatis non aliunde, qvàm ab objectis ſuis, denominationem ſortiuntur. Id ſaltem obſervetur, in eâ latitudine ſupponi â nobis ædificationis vocabulum, qvatenus & primam *exſtructionem*, & ſuccedaneam *reparationem*, qvin & ex oppoſito *deſtructionem* complectitur; cùm utrobiq; *civilis diſpoſitio* locum inveniat, qvam etiam pro *formali* hujus juris meritò ducimus. Enimverò non conſiderantur â nobis ædificia ſub *qvantitatis ratione*, qvo pacto eorum principia, communes affectiones ac ſpecies *Architectonica* declarat: neqve ſub *effectionis fabrilis reſpectu*, qvam â Philoſopho alienam Architectis relinqvimus: ſed, uti modò præcepimus, ſub *civili habitudine*, qvatenus apta nata ſunt, ad imperantium mandata fingi, refingi, aboleri etiam, ſi commune egregium expoſcat.

XVI. Cæterùm cùm ædificium omne ſit vel *civile*, vel *militare*, ſumpto diſtinctionis fundamento tùm â *principio productivo ſive normativo*, qvod eſt *Architectura civilis & militaris*, tùm *ab uſu ac deſtinatione*, paullò preſſiùs nunc exponendum eſt, *qvatenus in utraq. jus aliqvod Principi competat.* Neq; tamen circumſcripta pagellarum anguſtia patietur facile, ut geminam hanc poteſtatem ut addecet, exeqvamur; qvare in *civilibus* duntaxat, qvæ diximus, *ædificiis*, præſens opera hærebit, militarium operum curam aliâ occaſione, ſi dederit Deus, Majeſtati aſſertura. Conſiderari autem ædificia poſſunt tùm *complexè*, ac in unione qvâdam, qvatenus ex eorum conjunctione oppidum aliqvod aut urbs conſtituitur; tùm *ſeparatim*, qvatenus ædificia ut ſingula ſpectantur, ac unumqvodlibet in ſe civilem diſpoſitionem admittit. Ab utraq; parte jam principis poteſtatis jus expendemus.

XVII. Principis itaq;, vel qvi conſimili poteſtate coruſcat, eſt, *urbi condendæ commodum locum deligere.* Unde *Polybius l. 6.* in genere id monet, qvòd urbium & arcium ædificatio primitùs â Regibus ſuſcepta fuerit.

*Urbium*, inqvit, *arciumq; ædificatio primùm à Regibus facta eſt, tùm ad ipſius regni majorem contra hoſtes externos ſecuritatem, tùm etiam adipiſcendam Regum in ſubditos auctoritatem, ac ſæpe tyrannidem ſtabiliendam.* Sic *Cecrops Ægyptius*, antiqviſſimus Athenienſium Rex, *Athenas*, *Lacedæmon*, primus Spartanorum Rex, *Spartanam urbem*, *Romanam Romulus* condidere. Eò autem curas ſuas dirigat Princeps, ut & *naturalibus* excellat *bonis* deſtinatus urbi locus, & *negotiis civilibus* ſit peropportunus. Qvare *Philoſophus 7. Pol 11. & 12.* qvatuor in commodo urbis ſitu deligendo ſpectanda præcipit: primum eſt *ſalubritas aëris*: alterum, *ut ſit opportunus actionibus civilibus*: tertium, *ut ſit bello qvoq; opportunus*: qvartum, *ut habeat copiam ſufficientem aqvarum ſtantium & manantium.* Hinc, ut primum obtineatur, commendat ſitum urbium orientalem, qvod & aër per orientales ventos purgetur magis, emergentisq; Solis bonitas radiis ſuis vaporum noxia caſtiget, ac orientalioribus debita locis aura temperatior accidat, utpote nec calida nimis, nec ultra modum frigida aut humida, nec immodicè ſicca. Qvid? qvod & aqva ad orientalia loca magis ſalubris ſit; qvippe qvæ ſplendida magis, mobilis ac purior. Conjunge qvoad hæc ipſa & alia *Cl. Piccart. in 7. Pol. 11. ac Dn. Felwinger. Diſſert. Pol. de Urbe part. 1. § 62. & ſeqq.*

XIIX. Plurimum his ipſis incana veterum prudentia tribuit, qvæ ideò ante omnia obnixa induſtria horum ſibi notitiam comparavit. Ac eum qvidem *aërem* judicavit optimum, qvi lucidus & clarus, non craſſus aut nebuloſus, mundus præterea, nullisq; inqvinatus vaporibus, nec cadaverum aut crematorum multitudine turpis, latrinarumve fœtore, ac cœni, & ſterqviliniorum gravis, aut fovearum & culinarum graveolentiâ teter. Sed & altiùs adhuc intimiùsq; rimata eſt ſalubritatem loci veneranda antiqvitas. *Animadvertebant*, *Vitruvio* auctore, *l. 1. c. 4. majores noſtri in ſtatuendis urbibus, an, qvæ ex terris naſcuntur, eſſent benè tincta, & probè colorata: an repoſita diutius durarent; deinde & pecorum ejus loci jecinora inſpiciebant, qvæ, ſi lívida eſſent ac vitioſa, pabuli putabant id vitio pecoribus accidere. Itaq; idem humanis qvoq; corporibus metuendum cenſebant, & proinde aliò divertebant. Si verò in pluribus pecoribus ſolidam integramq; jecinorum naturam, & benè habitas coloratasq; plantas reperirent, pedem ibi figebant, & ſedem certam collocabant.* Adducunt alii pro laudabili aëris temperie, ſi locus nonnihil ſit editus, qvi perflationibus pro purificando aëre accommodatior, ſi pueri item multi ac ſenes, hominesq; probè colorati in eo reperiantur; cùm contra inclementis nociviq; cœli indicium

ſit;

&, ſqvalli coloris homines, aut deformes, corpora debilia, pauci pueri, pauciores ſenes in loco aliqvo deprehendantur. Conf: *Jun: quæſt: Pol:* 63.

XIX. *Aqvarum* autem iſtæ commendantur maxime, qvæ externæ qvalitatis ſunt expertes, colore, odore, ſapore carentes, pellucidæ & tenues, qvæ non murmurant aſſumptæ in corpus. Item aqvæ pluviales, qvæ leviſſimæ ſunt & tenuiſſimæ, item ſplendidiſſimæ, qvæ ipſæ tamen citò putreſcunt: & inde ac ob alias cauſſas hâc in parte contrarium tenemus, licet *Vitruvium l. 8. c. 2. Colum: l. 1. c. 5. Plin: l. 31. 3. Avenroes l. 18. c. 38. ſimplicium, Avicenna* & alii contrarium tueantur. Item qvæ in candidum infuſæ linteum non commaculant, fervefactæ fecem non dimittunt, & muſcoſum alveum, qvo perfluunt, & præſertim ſaxa coinqvinata non reddunt *Vitruv. l. 8. c. 5.* Peſſimæ contra ſunt aqvæ paludoſæ, putredine qvadam terreſtri vitiatæ, & ex eâdem cauſſâ aqvæ ſtagnantes & immobiles, infectæ etiam aliqvâ ſubterranei metalli qvalitate, item qvæ ex ſolutâ nive aut glacie collectæ ſunt. *Piccart. l. c.* Fontes autem qvod concernit, curatius eorum ſcrutinium inſtituendum eſt, cùm haud rarò qvalitatibus occultis gaudeant, qvas ex ſecretioribus terræ venis ſecum adferunt; de qvibus vid. *Majol. Dies Canicul: part. 1. coll.* 13.

XX. Et ſanè non eadem cæterorum, atq; horum, in communi vitâ æſtimatio eſt, cùm in reliqvis interſtitia qvædam & intercapedines ſint, horum verò continuus ac non interruptus uſus vigeat. Aër enim, cùm reſpirationis ſit medium, ad intimos cordis penitrare receſſus haud falsò creditur. Spiritus certè alacres vivaceſq; reddit, ſi purus & ſubtilis, uti ex adverſo ejus intemperies eos ſuffocat, undè plurimùm ad conſervandam ſanitatem refert, qvo aëre fruamur. Non afferam illud, qvòd cæli diverſitas ad ſimilitudinẽ ſui qvoq; ingenia fingat, qvæ rigentia ferè offendas ſub atroci cœlo, tractabilia autẽ ac tẽperata, ſi conſimili aëris conſtitutione animentur. In univerſum ferme *locorũ ſitus ingenia hominũ format. Curt:* 8, 9, 20. qvã in rem præclarè *Cic: Orat: de Leg: Agr: Non ingenerantur*, inqvit, *hominibus mores tàm à ſtirpe generis ac ſangvinis, qvàm ex iis rebus, qvæ ab ipsâ naturâ loci, & à vitæ conſvetudine ſuppeditantur; qvibus alimur & vivimus. Carthaginenſes fraudulenti & mendaces, non genere, ſed naturâ loci, qvòd propter portus ſuos multis & variis mercatorum & advenarum ſermonibus ad ſtudium fallendi ſtudio qvæſtus vocabantur. Ligures montani, duri atq; agreſtes. Docuit ager ipſe nihil ferendo, niſi multâ culturâ, & magno labore qvæſitum. Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, urbis ſalubritate, deſcriptione, pulchritudine &c.* Hinc Minerva in

... eligenda, loci ſalubritatem, aërisq; ſubtilitatem ſinceræ ingeniorum accommodatiſſimam ſecuta eſt, *Cæl. Rhodig. l. 11. c.* ... E contrario M. Hoſtilius Salapiam oppidum qvatuor paſſuum millibus à veteri ſitu, loco ſalubriore deprehenſo, tranſtulit. Non minor aqvæ neceſſitas eſt. Ea enim, ceu reſpirationis materia, cordis æſtus refrigerat, humidum radicale conſervat, uſibusq; qvotidianis tùm ratione victûs, tùm reſpectu delectationis & munditiei maximè inſervit. Ægerrimè ejus amarorem ac penuriam tulerunt Iſraëlitæ, *Exod. 15, v. 24 & 17. v. 3.* Haud itaq; ab re ab utriusq; bonitate elementi Hiſpaniam commendat *Juſtinus, 44. 1. Salubritas*, inqviens, *cæli per omnem Hiſpaniam æqvalis, qvia aëris ſpiritus nullâ paludum gravi nebulâ inficitur. Huc accedunt & marinæ auræ, undiq; verſus aſſidui flatus, qvibus omnem provinciam penetrantibus, eventilato terreſtri ſpiritu, præcipua hominibus ſanitas redditur.* Inde Romanos veteres aqvarum legimus ſtudioſiſſimos, qvi tantum impendebant aqvæ ductibus, ut ſingulæ fermè domus ſuos habuerint fontes. Claudius certè Imperator in aqvæ ductu, qvos ſuis impenſis in urbē perducendos curavit, erogavit talentûm ſexaginta millia, cujus ſummæ calculu *Budæus* ponit auri millionem, & 365... coronatorum. *Camer. Oper. Subciſ. part. 1 c. 81.*

XXI. Præterea annitendum Principi ſedulò, ut exſtruantur urbes *in ſolo fertiliſſimo*, ut in eo civibus numero auctis alimenta abundè ſuppetant, potentioresq; effecti cives externam vim facilè propulſare poſſint. Conditiones fertilitatis, *Caton : de re ruſtica, c. 1.* adductas, vide ſis apud *Felwing: l. d. §. 72.* Contrarium autem ſvadere fortean poſſet, qvòd fœcunditatem loci comitetur plerumq; civium otium ac inſolentia, olimq; Athenienſium urbs floruerit maximè potentiâ & opibus, licèt in ſterili ſolo conſita, ut cum *Xenophonte Plutarchus* teſtatur. Et hodie qvoq; Norimberga in Germaniâ noſtrâ, Limogea iu Galliâ, aliæq; urbes ampliſſimæ pariter ac florentiſſimæ ſunt, utut infœcundum agrum poſſideant. Verùm parata ad hæc reſponſio eſt, cùm inertia luxusq; civium legum repagulis coërceri optimè, præcaveriq; poſſit, ac allegatarum urbium ſoli ſterilitatem alia naturæ ac induſtriæ munera ſatis compenſent. De Athenis ita *Xenophon, l. de Vectig*: *Eſt terra*, inqvit, *qvaſi ſeratur, nullum edit fructum, ſin fodiatur, multò plures alit, qvàm ſi triticum ferret. Nec dubium eſt qvin divino qvodam fato ſubargentoſa ſit.* Et inde factum *Plutarchus in Solon.* cenſet, *qvod ad artificia Solon Athenienſes traduxerit.* Levabat inſuper naturalem ſoli inopiam vicinum urbi Ægæum mare, qvod omnium rerum fuiſſe feraciſſimum *Xenophon l. c.* aſſerit. Unde *Euripides: Qvicqvid*

*edit*

*edit Græcia, qvicqvid Aſia; illis fruentes læti vitam ducimus.* Cautum qvoq; legibus erat, neqvis Athenienſium, inqvilinorumve Athenis degentium mercatorum, aut naviculariorum frumentum aliò qvopiam vectaret, qvàm Athenas; nemo præterea pecuniam in navem, qvæ frumentum Athenas vectura non eſſet, locaret. *Demoſthenes adverſus Lacritum.* Iisdem fermè annonæ & Norimbergæ ac alibi inopiæ conſulitur.

XXII. Ut autem *actionibus civilibus* belli pacisq; temporibus aptæ ſint urbes, talis earum debet ſitus eſſe, qvi exitu facilis ſit civibus, hoſtibus autem acceſſu difficilis & impeditus. Cui commoditati jungenda qvoq; ſi haberi poteſt, importandarum ac exportandarum rerum facilitas. Dici enim non poteſt, qvantum per commerciorum freqventiam & opum urbi, & potentiæ accedat. Qvapropter commendantur maximè urbes *mari vicinæ*; qvas tamen alii ex hoc capite improbant, qvòd maris inclementia ad peſtem proclivior morborum legiones parturiat. Unde alii præferunt urbes *ad navigabile flumen* excitatas, per qvod evehi poſſint, qvæ ſuperſunt, & advehi, qvæ deſunt. *Utrum verò in montibus potius, qvàm planitie extruendum oppidum veniat*, variè à Politicis diſceptatur. Prius qvi volunt, eas non ſolum à tormentorum bellicorum periculo cæteris tutiores, ſed & opportuniores ad impugnandum hoſtem proclamant, cùm & longiùs appropinqvans videri poſſit, & telis certiùs peti, qvàm in locis depresſis & planis. Et huic ſententiæ inſiſtit *Felwingerus l. 1. c. 5. 60. B. Danhauerus* contra *Diſp. Ethico-Pol. 1. q. 8.* planitiem præponit, qvòd montoſa loca (1.) *Phyſicè*, ad terræ motus magis ſint idonea (2.) *Politicè*, facilè ſit, iis ſubducere commeatum, ac fontes obturare, (3.) *Oeconomicè*, vecturæ & ambulationi hominum non ſint congruæ. Et hanc ſententiam pleriq; Architectorum militarium ſeqvuntur.

XXIII. Modum qvoq; urbis *amplitudo* à Principis præſcripto expectat, ne ſit nimis diffuſa, & civium conditioni correſpondeat. Sic enim futurum, ut Magiſtratus cura rectiùs vigilare pro omnibus, cives noſſe ſe familiariùs, & contra hoſtes commodiùs tueri posſint. Ex adverſo illa ſpatiorum latifundia nec bello nec paci apta. Effuſior etenim in vaſtis urbibus vitiorum licentia regnat, cui vix efficaciter reſtiteris. Qvodſi belli neceſſitas ingruat, nec maximis ferè defendi ſumptibus poſſunt. Fluctuantes ſemper, & per plebejarum mentium impotentiam ad motus tumultusq; ſeditionesq; proclives, ſi annona præſertim tantæ multitudini non ſufficiat. Non ſine cauſsâ proinde de nimiâ *Londini* amplitudine Britanniæ Regum prudentiſſimus *Jacobus* conqveritur *Orat: 5. in Oper: fol: 559.*

*Hic lien eſt noſtri corporis; eo creſcente cætera membra contabeſcere neceſſe eſt. Omnibus enim Londinum habitandi gratiâ confluentibus, quid aliud ruri relinquitur, qvàm ſolitudo? At ubi apparet hoc urbis incrementum? non intra mœnia, ſed in ſuburbiis: nec levamentum urbi vel opes ferunt hæc nova ædificia, ſed urbi ſimul & regno oneri ſunt. Caram oportet annonam eſſe, ubi tot homines cibo & igne aluntur.* Idem incommodum *Lutetia Pariſiorum* patitur, *cujus pomœria proferri ſemper vetatur, & ſemper permittitur. Forſtn: not: Pol: ad Tac: 11. Annal. 23.*

XXIV. Proxima Majeſtatis cura eſt, ut *exſtructionem* ipſam dirigat ac moderetur, qvò cum *commoditate* jungatur *proportio*, nec *venuſtatem firmitas* excludat. Qvæ ut rectè obſerventur, excellentiſſimi Architecti etiam magnis ſtipendiis accerſi ac foveri in Republicâ debent. Et hæc ratio eſt, qvare in Romano jure ab univerſis immunitatem muneribus architecti habent, ut eò plures ſint, qvi ſe architecturæ ſtudio mancipent, & ipſi peritiores fieri, & ſuos filios erudire deſiderent *l. 1 C. de excuſat: artif.* Publica cumprimis ædificia ſummam cautionem reqvirunt, ne error in eorum exſtructione commiſſus, atq; omnibus hominum oculis expoſitus, contemptum Magiſtratui pariat. Non licet nunc ea ſingulatim percenſere, aut eorum reqviſita expendere. potiſſima enumeravit *Forſtn: not: Pol: ad Tac. 3. Annal. 72.* qvi tamen militaria cū civilibus conjungit: *Vias publicas, ſilice, lapidibus ſternere, flumina pontibus jungere, muros civitatum reficere, atq; in eam redigere ſecuritatem, qvam Diabolicæ oppugnandi artes atq; inſtrumenta hodie reqvirunt; munimenta locis opportunis, templa item & Noſodochia, Gerontocomia, Orphanotrophia conſtituere, porticus & bibliothecas aperire: deniq; ſiſtere ruinas, ſolitudinem pellere, ingentia opera eodem, qvo extructa ſunt, animo ab interitu vindicare, &c. Hæ ſunt ſtructuræ Principis curâ exercere dignæ.*

XXV. Ac ut in publicis operibus elucere magnificentiam Reipublicæ æqvum eſt: ſic privatorum ædificationes intra *parſimoniæ* limites cohibere addecet. *Neq; enim certior ad paupertatem via eſt, qvam cum domorum ſplendore ac magnificentiâ ita certant cives, ut ſortem ſuam excedant. Cum enim incerti ſumptus ædificationis ſint, nunqvam tam exactè rationes ducuntur, ut non deſtinatis majores impenſæ ſint faciendæ. Eſtq; hoc ſuperbè ædificantium ſolenne erratum, ut ædes relinqvere & migrare cogantur. Conr. Can. 8. Pol. c.14 §.8* Inde antiqvitas, ne privati in expenſis excederent, ſtatuit, juxta *Charond. apud. Stob. ſerm. de leg.* qvòd illi, qvi nimis ſumptuoſe magnificum opus feciſſent, infamiâ notarentur. Qvam ob cauſſam *Ariſtoteles*

*Sive*

Stultus jure prudentiorum animadverſionem incurrit, qvi, cum magnificam Genuæ domum inchoaſſet, ſolùm in jaciendis fundamentis pecuniam omnem conſumpſit, qvâ conſumptâ, ubi ab aliis imprudentiæ arguebatur, qvòd tantam molem, & qvidem minùs rectè computatis expenſis, aggreſſus eſſet, imprudentiam hoc ſolatio velavit, qvòd ex jactis fundamentis poſteritas illum magnum virum fuiſſe ſuſpicetur. *Pont: c. 10. de Magnif.* Simile exemplum de *Erfurtenſi cive* apud *Felwingerū* habemus, *Diſſert. Pol. de luxu part. 2. §. 9.* Omnem itaq; ſubditorum in ædificando æmulationem tollere cautus Princeps debet, nec pati, ut aliqvid ab aliqvo cum injuriâ alterius, & animo nocendi, nullo utilitatis vel neceſſitatis impulſu, attentetur.

XXVI. Non autem melius omnibus his incommodis reſiſti poteſt, qvàm ſi Magiſtratus *certum altitudinis modum* præſcribat, tùm *locum, materiam, formam*, aliasq; circumſtantias certo modo determinet. Sic à *Tarquinio Rege circa forum privatis ædificanda diviſa ſunt loca. Liv. 1, 36. Auguſtus Imperator librum totum de modo ædificiorum ſenatui recitavit, & populo notum per edictum fecit. Suet. in ejus vit. c. 89.* in qvo inter alia, ut ruinæ caverentur, edixit, ne novum ullum ædificium ad viam publicam ſactum ultra 70. pedes attolleretur, qvibus Trajanus poſtea decem pedes detraxit. Et nunc qvoq; nonnullis in locis ſtatutum eſt, ut ſupra tres contignationes ædificia non attollantur. Præterqvam enim, qvòd ruinæ periculum adſit, aër qvoq; intercipitur, & lux excluditur. Peccat in hoc *Neapolis*, cujus tantam altitudinem ædificia habent, ut privatorum hominum ad qvintam & ſextam contignationem conſurgant. *Hippol. à Collib. c. 7. de increm. urb.* Conſvevit & ad *materiæ* electionem Magiſtratûs cura ſe extendere, ut talis ſcilicet aſſumatur, qvæ ignem non facilè concipit, cujus generis *lapides ac lateres* reliqvis præferuntur, qvibus, pro conditione regionū *ſolida ligna* adjicimus. Hinc alicubi prohibentur incolæ, *ſcandulis tecta* ſtruere, & Magiſtratus Auguſtanus non permittit, ut ædificia ex ligno [illegible]mentur, ſed omnia lapidibus conſtruenda ſvadet & jubet. *Felw. l. c.*

XXVII. Neq; verò ſatis eſt, ut ædes debito modo condantur, ſed & earum *conſervationem* Principis cura promovere debet. Atq; exhinc olim non licuit dominis, marmora, aut columnas, aut ornamenta ex ædibus detrahere, ac de provinciâ in provinciam transferre, negotiationis cauſsâ, *l. 7. C. de ædif. priv.* vel de civitate in rus, vel de civitate in civitatem, *l. 6. eod.* Multò minus integrum cuiqvam, ædificia ſua demoliri, qvoniam ad decus urbium pertinet, ædificia ſarta tectaq; conſervari, ac publicum aſpe-

aſpectum ruinis non deformari. Nam *hæc regula contrariorum: Hic poteſt ædificare, Ergò ædificatum deſtruere, locum bic non invenit: plùs enim plus continet propter deformitatem urbis, quàm prius. Spring. de iure ædif. c. 13.* Quam ob cauſſam receptum eſt, ut ædes ſolens prudensq; incendens igne comburatur, *l. qui ædes. ff. de inc. ruin. naufr.* Propterea curatores Reipublicæ poſſeſſores ruinoſarum ædium compellant, ut intra certum tempus eas reficiant. Hoc ſi facere negligant, vel Reſpublica ſuis ſumptibus reædificet, reſtituendis poſteà cum uſuris à Dominis, aut ex ædium diſtractione petendis, vel aliis eorum refectio permittatur, *Veſpaſiani* exemplo, qui, *cum deformis urbs veteribus incendiis ac ruinis eſſet, vacuas areas occupare & ædificare, ſi poſſeſſores ceſſarent, cuicunq; permiſit. Suet. in ejus vit. c. 8.*

XXIIX. Quodſi tandem ædes *contra ornatum & commodum civitatis* extructæ ſint, *dirui* poſſunt, *l. 6. & 17. C. de Oper. Publ.* quod & iſtæ experiuntur, quæ *affectati principatus aut rebellionis cogitatæ ſuſpicionem præbent.* Sic *Valerius Poplicola* ex eo, quòd Romæ in ſummâ Veliâ ædificaret, atroci invadendæ Reipublicæ crimine notatus eſt, quod vix ante purgare potuit, quàm deferrentur in planum ædes, ac in infimo clivo ædificarentur. *Liv. 2, 7.* Genuæ olim privatorum turres depreſſæ ſunt, & ad altitudinem 80. pedum redactæ. Et ante illa tempora Genuenſes Piſanos hoſtes ſuos pertinaci obſidione coëgerunt, ædes ſuas usq; ad unam contignationem demoliri, quemadmodum ex *15. & 11. Sigonij de Reg. Ital.* notat *Forſtn. not. Pol. ad Tac. 3. Annal 9.3.* Solent & eorum domus dejici, *qui gravi crimine adverſus Remp. ejusq; majeſtatem ſe polluerunt, aut in quibus maleficium aliquod commiſſum eſt*, ad conteſtandâ criminis execrationem, & quò juſti ſupplicii notitia ad poſteros perveniat. Sic Senatus Populusq; Romanus non contentus fuit. *Sp. Caſſium,* concupitæ dominationis reum, capitali ſupplicio afficere; *interempto domum ſuperjecit, ut penatium quoq; ſtrage puniretur. Val. Max 6. 3, 1.* Sp. item Melii ob affectatum regnum obtruncati domus *ut monumento area eſſet oppreſſæ nefariæ ſpei, juſſu dictatoris exemplo diruta eſt. Liv. 4. 15.* Conſimilem ruinam patiuntur ædes, *ubi falſa moneta fabricata eſt, l. 1. C. de falſ. mon.* in [illegible] *de ſepulchro detractum* [illegible], *l. 2. C. de ſepulchr. viol.* in *quibus pagana ſunt ſacrificia. l. 8 C. de Pagan.* in *quibus* [illegible] *habentur, l. conventicula C. de Epiſc. & Cler.* [illegible] *Italia &* [illegible], *qui* [illegible] *nequeunt, domus deſtruuntur*, teſtante *Boerio, decis. 230.* Sed hæc, & quæ de ſingulis [illegible] partibus adferenda erant, [illegible] à nobis plenius expendi non poſſunt, de quibus interim Lectorem cupidum inſtruere poſſunt [illegible] *Diſſert. Pol. de Urbe.* [illegible] *Tract. de Jure ædific.* & [illegible] *pr[illegible].* Nos hic receptui canimus, ac definimus in

SOLIUS DEI GLORIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA [illegible]